



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

In quo Aduersarij Christianos Doctores iustè aut iniustè accusent 100

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

fieri corporis & sanguinis Domini, qui huic actioni tantummodo intersunt, sine vera poenitentia peccatorum ac stabili fide in Christum, quæ per dilectionem efficax sit ad omne opus bonum: denique quantum in ipsis positum est, nullos qui in confessis peccatis hærent, huic sacro officio interesse patiuntur, quod etiam ferium est mandatum Domini, & à veteri ecclesia fidelissimè obseruatam.

Quid verò faciunt falsi Missarum mundinatores? Missas faciunt prout ab ipsis ratione præbendarum requirantur, vel pecuniâ, aut alio lucro redimuntur, vel prout alioquin per eas honorem, fauorem & pecunias se acquisituros sperant; de poenitentia & fide nihil curantes.

Illi enim ipsi maxima ex parte in manifesta Simonia, scortatione, aliisque sceleribus & flagitiis hærent. Qui verò liberales sunt in offerendo, vel eos propter missas in magno precio habent, hi accommodi sunt idoneique missarum auditores: hos fidere faciunt externo tantum opere, securusque in omnibus peccatis & horrendo diuinæ maiestatis contemptu reddunt. Vnde postea in missis suis peregrina & ignota lingua omnia & dicunt & faciunt, idque ludicra & impia festinatione ac confusione: pro opulentis plures magisque solennes missas faciunt, quàm pro pauperibus: aureas & id genus alias præstigiosas missas comminiscuntur, nihilque est ex omnibus idololatricis abominationibus, quas vnquam Propheta in antiquis falsis sacerdotibus & idololatriis redarguerunt, quod non in eorum missis reperiatur. Hoc nimis proli dolor manifestum est, & contra hoc solum pugnant Christianæ Ecclesiæ, & fideles earum ministri. Facile igitur conici potest, quid Aduersarij quarant, dum in abominationibus istis facandis, & ornandis tantum laboris & operæ impendunt: interim verò ne vnum quidem abusum fatentur aut corrigere student.

Hactenus de controuersia Applicationis Missæ.

In quo Aduersarij Christianos doctores iuste aut iniuste accusent.

CAP. C.



RIMUM omnium taxant id quod in Christianis Ecclesiis docetur, Christum sacrosanctam ceremoniam suæ Cœnæ instituisse tantum in usum & profectum singulorum astantium, præsertim eorum qui sacramentis communicant.

Quem

Quem scdum, & impium errorem esse aiunt : putantque quoniam ibi Deus etiam pro aliis & absentibus inuocandus sit, vt sacrificium filij sui illis prodesse permittat, quod hæc ceremonia non sit tantummodo in vsum præsentium instituta.

Hic rursus vides, Christiane Lectori, quàm crassè & improbè Christianam doctrinam calumniantur. Quando enim Christiani dicunt, Dominum hæc Ceremoniam tantummodo in vsum præsentium instituisse, loquuntur de tali vsu Cœnæ, quo eam nemo pro aliis, sed quilibet pro seipso percipere debet, quemadmodum vnusquisque pro se ipso, non pro aliis baptizatur. Item, quod non possimus corpus & sanguinem Christum pro aliis Patri offerre, sed oporteat quemuis ibi sacrificium istud in cruce semel oblatum pro se ipso vera fide percipere. Porro orationes gratiarum actiones, donorumque pro pauperibus Christi oblationes, etiam pro absentibus fieri debent, cui nemo contradicit. Manifesta igitur calumnia est Aduersariorum in hoc loco reprehensio.

Secundò reprehendunt Aduersarij quod Christiani Doctores dicunt Christum Dominum in sua Cœna non obtulisse, quem rursus scdum & impium errorem esse aiunt, propterea quod in sacratissima Cœna sua obtulerit, quando panem in suas sanctas manus accepit, & gratias egit, patrémque pro discipulis suis & omnibus electis rogauit, eis mandauit vt hoc facerent in sui commemorationem, &c.

Hæc iterum aperta calumnia est, Christiani dicunt Dominum corpus & sanguinem suum non in Sacra Cœna, sed in cruce pro peccatis nostris victimam Patri obtulisse : in S. verò Cœna suis in cibum & potum tradidisse. Quod verum est, & S. Scriptura clarè testatur.

Si verò *offerre* significat, super pane & calice Patri gratias agere, & pro electis Dei Filiis orare, sicut nonnulli Patrum iuxta consuetudinem veteris Testamenti intellexerunt, nemo est qui neget Dominum in sua cana obtulisse, & offerri præcepisse, non quidem victimam, sed sacrificium Orationis & gratiarum actionis offerre, vel proferre significat vt iam antedictum est. Quare cum in S. Cœna panis & vinum Domino quasi offertur, gratiæ aguntur, ipsèque inuocatur & rogatur, vt hominibus largiri dignetur, quo etiam semetipsum illi offerant, & ad gratiam suam omnéque placitum fiant, non malè sacrificium, seu oblatio dici potest, iuxta consuetudinem legis Mosaicæ : & sic omnes antiqui Patres S. Cœnam oblationem dixerunt.

Adhuc verò modum sensus & intellectus Offerendi in Missa nunquam fuit populo declaratus : sed potius dictum fuit, quomodo sacerdos Filium Dei offerat. Spiritus S. qui commemorationem istam optima ratione tradit, nullum offerendi sacrificandique vocabulum in negotio S. Cœnæ vsurpauit : sed gratias agendi, orandi,

panem calicemque accipiendi, frangendi, distribuendi, manducandi & bibendi, atque id ipsum in memoriam suam faciendi. Quæ verba à omnibus Christianis intelliguntur, suntque utilia ad ædificationem, & periculo depravati intellectus carent. Quare consultiss. est, eiusmodi propriis claris ac dilucidis verbis in talibus rebus uti, quibus & Dominus ipse, & Apostoli eius vsi sunt. Offerendi verò & sacrificandi vocabula, posteaquam in tam horribilem abusum sensumque depravatissimum detorta sunt, & neque à Domino neque ab Apostolis vsurpata, hoc tempore prætermittere. Verùm de hoc supra latius.

Tertiò citant S. Patres, qui administrationem S. Cœnæ in utroque ponunt, nempe sacrificio & distributione Sacramentorum.

De hoc supra etiam rursus dictum est, Christianos nihil ardentioribus votis expetere, quam ut istud sacrificium oblatione modo quo à S. Patribus intellecta & observata fuit, etiam hoc tempore in opus reducat.

Nempe ut ad gloriam Dei beata memoria Domini nostri Iesu Christi celebretur, & Sacrosancta eius oblatio facta in ara crucis, manifestis, deuotis, atque ex Scripturæ fontibus haustis doctrinis, adhortationibus, gratiarum actionibus, precationibus & Sacramentorum dispensatione fidei populo offeratur, distributioque Sacramentorum iuxta institutionem Domini peragatur. Quod sacrificij genus Liber Reformationis in genuinum suum usum restitui ordinavit.

Iam verò apud Aduersarios tum Oblatio ista, tum Sacramentorum dispensatio, quæ duo S. Patres semper coniungunt, tanquam substantiales istius Sacrosanctæ ceremoniæ partes, iamdudum antiquata est: imò ne rursus pristino ac vero suo vsui restituatur, manibus pedibusque obnituntur: interim tamen dicta & ordinationes S. Patrum Christianis, quasi eis aduersentur, audent obicere.

Quartò scribunt, Christianos nullum statuere discrimen inter oblationem Christi & eius applicationem.

Quæ & ipsa calumnia est. Fides enim non modò applicationem agnoscunt, ubi quilibet sibi ipsi per propriam fidem redemptionem ac meritum Christi apprehendit & applicat: verum etiam applicationem Sacerdotis, qui redemptionem & communionem Christi omnibus fidelibus per verbum & Sacramenta applicat & tradit, ut iam dictum est.

Quintò affirmant Catholicam Ecclesiam nunquam docuisse missam esse opus tantum externum solius Sacerdotis quo secundum suam deputationem viuis aut defunctis quibus voluerit, promereatur remissionem peccatorum, verum longè aliter & contra.

Quod verum est: Catholica enim Ecclesia id nunquam docuit: Verum missatores iamdudum in concionibus suis ad primas missas & alias hominibus

hominibus id ita inculcarunt, vt iam pridem infinitus animarum numerus in omnibus nationibus in atrocissimo hoc errore pereat. Hinc enim primum omnium exortum est, vt in maiori parte nationum conuersiones ad populum extra Aduentum & Quadragesimam ferme penitus interciderint: contra verò omnes anguli Missis referri sint.

Innocentium citant scribentem, *Quod sacerdos agit ministerio, populus agit voto.* Et tamen nihil apud eos intelligibiliter populo proponitur, vnde attentionem desideriumque mentis erga id quod Sacerdos verbo & sacramentis agit, concipere possit.

Sextò dicunt, Orationem sacerdotis, dum tamen in fide & præ deuotione fiat, efficaciorē esse apud hanc sacratissimam actionem & oblationem quàm aliàs. Ad cuius rei confirmationem adducunt Sermonem quendam qui sub nomine Cypriani circumfertur, eius verbo illum non esse optimè norunt.

Nemini Christianorum dubium est, orationem tanto efficaciorē esse, quanto ex firmiori solidiorēque fide proficiscitur: non autem virtute actionis apud quam fit. Quamuis apud omnes verè fideles etiam externa S. Cœnæ actio multum valet ad fidem ac deuotionem promouendam. Alioquin Dominus omnem fidelem precationem, vbicumque ea fiat, benignè se exauditurum promisit.

De Opere operato.

C A P. C I.



Hoc loco dicunt Aduersarij, Scholasticis doctoribus inciviliter & malitiosè affingi, quasi docuerint opus sacerdotis in Missa valere coram Deo ex Opere operato, sine bono motu vtentis, sinèque opere operantis, hoc est, etiam si nec sacerdos nec populus suum opus, hoc est veram fidem adiungat.

Responsio.

Hanc erroneam seductoriàmque doctrinam Christiani nemini adscribunt, nisi qui vltro se illi adiungit. Quoniam verò experientia compertum est, multa millia sacerdotum quotidie contra ordinationem & institutionem Domini missas facere, aliòsque homines eas audire, quos ambos propria vita conuincit, quod omni pœnitentia ac fide vacui sint, quandoquidem in manifestis & excommunicatione dignis flagitiis sceleribusque contra conscientiam hærent, negari non potest errorem istum in nimis magna hominum parte sat altas radices egisse, quas necdum Aduersarij, euellere tentant, quin potius omnibus his, quæ ad conseruationem istius abominationis faciunt, fūco patrocinantur.